



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

CCCLXXXV. Lenoni reus, qui meretrici amatorium dedit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

## DECLAMATIO.

Serves munus: nam removeas licet secures, si irasceris, morietur alioqui. putas illum dilaturum nuptias tuas. Denuncio, iterum rapiet.

## CCCLXXXIV.

*Virgo immolata pestilentiae.*

In pestilentia responsum est, virginem immolendam. Sorte ductam pater virginem negavit. Magistratus immolavit: non finiebatur pestilentia: iterum sortiti sunt: altera immolata est: sedata est pestilentia. Prioris patri magistratus reus cædis est.

## COLORATÆ.

Sortem filiae tuæ Deus inter virgines esse noluit: sed tanquam alienæ turbæ exemit.

## CCCLXXXV.

*Lenoni reus, qui meretrici amatorium dedit.*

DAMNI INJURIA DATI SIT ACTIO. Adolescens cum amaret ancillam meretricem, & multa ei donasset, amatorium ei dedit: videbatur amare ancilla adolescentem: agit leno cum eo, damni injuria dati.

## DECLAMATIO.

Siquis utramque partem inspexerit, intelliget profecto, Sex utra parte sit damnum. Nam lenonis impudentiam satis admirari non possumus, qui non contentus in lupanari venditare ancillam, in foro venditat, quo plures amatores inveniat. Quod si aliquid valet amatorium, fautor, hic bibit.

## SERMO.

Rei gestæ ordinem cui necesse est exponere, in ejusmodi persona necesse est erubescere. Questiones illæ sunt, an leno damni injuria dati agere possit, an impune illi injuria fieri: an cum suam injuriam non possit vindicare, mancipii possit: <sup>1</sup> an si mancipii non potest, prostituti possit. Quid sit damnum datum esse: cum quis non habeat.

<sup>1</sup> An si mancipii non potest, prostituti possit.] Potius, prostituta. Gronovius.



habeat, quod ante possederit. Etiamnum, ut in primo loco comparatio personarum, utrum credibilis sit adolescentem intulisse damnum, an accepisse. Felicem esse etatem, si servare possit sua: & lenonem circumscriptum quis crediderit.

## DECLAMATIO.

Quamquam ut fecerim damnum, merito relata tibi talio est, propter quem damna omnes faciunt. Leno est publicum damnum. Atqui tuam ancillam habes. Malo, inquit, exemplo datum est. <sup>1</sup> Quid ni ait civitatem stare non posse, quia meretrix amet. Amatorium, inquit, dedisti. Damni agis, & veneficium objicis.

## SERMO.

Hic an amatorium effectum habeat. Quid enim si deformis det, si debilis, si cacus, si pro absente? nunquid enim mandata medicamentum accipere? & illud prius. Quomodo animum mutet, quod corpori non noceat, per quod transit? & mutat animum, ut indulgentiam precipiat, isto modo lenonem divitias in manu habere. Cur ergo, inquit, dedisti? Multa miseros etiam sine ratione tentare. Huic, cum tristis esset, supervenisse anum: monstrasse: hunc, antequam daret monstratam potionem, ne quid noceret, priorem bibisse: reum autem sub hac culpa esse, quod non tacuerit. Ultima figuratio, quemadmodum leno damnum aestimaturus sit: nimirum voluisse aestimare ancillam, & fortasse huic vendere. Supra etiam illud quæremus, unde intelligat amare ancillam. Quod sæpius veniat. Hoc illam sæpe fecisse dicet: nempe amat,<sup>2</sup> sine illa non potest vivere: hoc est miseri juvenis amatorium. Et illo loco dicemus, Non posse illum aliquando damnum sentire, qui nullo labore tantos quaestus faciat. Invidendum illi, nisi leno esset.

CCCLXXXVI.

<sup>1</sup> Quidni? ait civitatem stare non posse.] Sic & Ærodius. Atqui uno spiritu continuandum: Quidni ait civitatem stare non posse, quia meretrix amet. Non enim hoc dixit Leno: sed adversarius illudens parum abesse ait, quin dicat. Idem.

<sup>2</sup> Sine illa non potest vivere.] Lege, sine illo, nempe adolescente. nam de meretrice loquitur. Idem.